

Respondeo : Fieri potest, ut Apostoli jejunium quatuor temporum instituerint quidem, sed non sub lege præcepti : deinde devotione fidelium frigescere, vel a Callisto Pontifice, vel ab alio præceptum sit additum. Quamquam (ut supra monui) non satis magna fides haberi potest Tertulliano in iis libris, quos dedita opera contra Ecclesiam scripsit.

Obijcit secundo, quod S. Hieronymus in epistola ad Marcellam scribit, Montanistas tres Quadragesimas jejunare, nos autem unam tantum, secundum traditionem Apostolorum ; per reliquum autem annum jejunare non necessitate, sed voluntate. Ex quo loco ita Kemnitius colligit : « Hieronymi ergo tempore, illa necessitas jejuniorum quatuor temporum adhuc fuit ignota Ecclesiae, sicut hæc ipsius sententia manifeste ostendit ». Et infra : « Lex igitur, quæ in Montanistis antea damnata fuerat, postea in jejunii quatuor temporum per metamorphosim in cultum Dei conversa, et canonizata est ». Hæc ille.

Respondeo : Non jejunabant Montanistæ quatuor tempora, sed tres Quadragesimas, vel duas hebdomadas, ut Tertullianus indicare videtur. Proinde nihil habet simile jejunium quatuor temporum cum jejunii Montanistarum. Sed Kemnitio licet non solum ex dissimilibus similia, sed etiam ex diversis eadem facere, sicut ex quolibet antecedente quodlibet consequens pro arbitrato colligere. Sanctus enim Hieronymus non dicit, per reliquum annum nulla esse jejunia per legem Ecclesiasticam constituta, sed dicit, licitum esse unicuique per totum annum, si voluerit, jejunare. Nam cum dixisset, Montanistas tres Quadragesimas habere ex præcepto Montani, ne videretur improbare frequentia jejunia, subjungit : « non quod per totum annum (excepta Pentecoste) jejunare non liceat ; sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre ».

Ubi duo dicit, primo licitum esse per totum annum (excepta Pentecoste) id est, præter quinquaginta dies qui sunt a Pascha ad Pentecostem, jejunare. Deinde addit, non esse tamen Ecclesiam cogendam ad jejunium totius anni ; vel trium Quadragesimarum, quod esset multis plane intolerabile. Alioquin enim sanctus Franciscus, et alii, non tres, sed quinque, vel sex Quadragesimas jejunabant, sed voluntate, ut sanctus Hieronymus monet esse faciendum, non necessitate.

Obijcit tertio, quod jejunium quatuor temporum natum sit ex prava æmulatione Judæorum, qui jejunium in quatuor mensibus observabant. Duo sunt autem, quæ in hac imitatione Kemnitius reprehendit. Primo, quod jejunia illa quatuor temporum Judæi non ex præscripto Domini, sed ex proprio capite instituerint, et ideo Zachar. VIII. ab ipso Domino per Prophetam reprehensa fuerint. Secundo, quod non liceat Christianis ritus Judaicos imitari, etiam a Domino institutos et imperatos, ut ait Apostolus ad Galat. cap. IV.

Respondeo : falsum est, jejunia quarti, quinti, septimi et decimi mensis a Deo per prophetam reprehensa fuisse. Nam ut etiam supra ostendimus, quod Dominus ait Zachar. VIII. jejunia illa convertenda esse in solemnitates præclaras, ad laudem eorum jejuniorum pertinet. Significat enim Dominus, si jejunia illa pie servantur, fore ut aliquando id præmii accipiant, ut convertantur in solemnitates præclaras, atque in hunc sensum hunc locum exponunt Hieronymus, Theodoretus et Rupertus in commentario, et S. Leo serm. 7. de jejunio septimi mensis, et serm. 4. de jejunio decimi mensis.

Porro jejunia quatuor temporum ex pia et sancta Judæorum veterum imitatione orta esse, cum S. Leone asserere non veremur, nam etiamsi caeremonias Judæorum, quæ significationis causa institutæ fuerant, imitari non possumus, tamen exercitia virtutum communia sunt utriusque Testamento, et magis conveniunt Christianis, quam Judæis, et ideo pati non debemus, ut in ejusmodi rebus ab illis superemur.

S. Augustinus in epist. 86. ad Casulanum, scribit, jejunare bis in Sabbato, ut Pharisæus Lucæ XVIII. bonum esse Christiano, modo sine superbiæ tumore id faciat. Sicut etiam decimas fructuum omnium dare, quod Judæi faciebant, optandum esse dicit, ut a Christianis omnibus impleatur. Itaque Aeriani apud Epiphanium sic ratiocinabantur : Hebræi stata jejunia habuerunt, igitur nefas est, stata jejunia habere Christianos. Contra sanctus Augustinus, et sanctus Leo : Hæbræi jejunabant bis in Sabbato, et rursus in quatuor mensibus certa jejunia observabant, igitur æquum est, ut Christiani jejunent feria quarta, et sexta, et jejunia quatuor temporum religiose custodiant. Cum igitur ex eodem antecedente contrarias conclusiones hæretici veteres, et veteres Patres college-

rint, dialecticam hæreticorum Lutheranis relinquentes, nos Patrum sanctorum dialecticam amplectemur.

At (inquit Kemnitius) beatus Joannes Chrysostomus notat, Apostolum ad Galat. IV. reprehendisse Christianos, qui non solum integros Judaicos ritus, sed etiam partem aliquam eorum rituum servant. Non igitur licet Christianis ullo modo servare Judaicum ritum de jejunio quatuor temporum. Respondeo : Loquitur beatus Paulus, et cum eo sanctus Joannes Chrysostomus, de caeremonialibus præceptis, quæ nec ex toto, nec ex parte servanda sunt : qualia sunt circumcisio, sacrificia pecorum, neomeniæ, Sabbata et alia id genus : at jejunia, eleemosynæ, preces, plane moralia sunt. Præterea non eodem ritu, neque eodem tempore, neque ob eandem causam jejunia quatuor temporum a nobis, et a Judæis servantur.

CAPUT XX.

De jejunio Adventus.

Adventum Domini jejunio celebrari consuevisse in Romana Ecclesia, perspicuum est : tum ex Innocentio III. capite Consilium, de observatione jejuniorum : tum ex ipso ritu Romani Breviarii, in quo preces illæ ad singulas Horas ponuntur legendæ in feriis Adventus, quæ propriæ sunt eorum dierum, quibus jejunatur. Cæterum, hoc jejunium non tam ex præcepto, quam ex Consilio, aut voto, a multis servari, Ecclesiae usus satis aperte testatur. Vide Radulphum de Rivo in lib. de Canonum observantia cap. 16.

CAPUT XXI.

De jejunio Rogationum.

Jejunium tridui ante ascensionem, una cum Litanis, instituisse fertur S. Mamertus, Viennæ Episcopus, ut scribit Gregorius Turonicus lib. II. historiae Francorum cap. 34. propter multa incommoda, quæ a terræ motibus, et luporum incursionibus, eo tempore Gallia patiebatur. Deinde, idem jejunium receptum legitur in Concilio Aurelianensi I. 29. cap. Romæ quoque olim idem jejunium ita servabatur, ut cibis solum quadragesimalibus populus vesceretur, ut intelligi potest ex Ord. Romano, ubi agitur de rogationibus.

Videtur tamen non tam præcepti, quam consilii fuisse ejusmodi observatio, cum satis constet, inter Pascha, et Pentecostem, ex antiquissima consuetudine nulla jejunia imperari. Sicubi tamen hoc ipsum jejunium præcepti lege servatur, non est improbandum. Servanda est enim in ejusmodi rebus Ecclesiae consuetudo, ut Hieronymus in epist. ad Lucinium, et Augustinus in epist. ad Casulanum monent. Exstat de institutione rogationum insignis sermo S. Alchimi Aviti, qui fuit tertius a sancto Mamerto, Viennensis episcopus.

CAPUT XXII.

De jejunii Vigiliarum, et Stationibus.

Pridie magnorum festorum non solum vigiliæ agi per noctem, sed etiam interdiu jejunari, testis esse potest sanctus Bernardus in serm. de vigilia sancti Andreae. Item Burehardus lib. XIII. decret. cap. 16. et Innocentius III. cap. 1. et 2. de observatione jejuniorum.

Quoniam autem stationis nomen, ejus frequens est mentio apud veteres, partim cum vigilia, partim cum jejunio convenit, ita ut sæpe pro alterutro accipi videatur, operæpretium esse duxi breviter explicare, quid proprie statio sit.

Igitur non desunt, qui stationem existiment dictam esse a stando, quod fieret diebus Dominicis, quibus diebus Christiani non nisi stantes orabant, juxta illud Tertulliani in lib. de corona militis, die Dominico jejunare nefas ducimus, et de geniculis adorare. Sed falsam esse hanc opinionem ex illo ipso libro de corona militis intelligi potest. Docet enim Tertullianus, numquam fieri stationem die Dominico : « Jam, inquit, et stationes, aut alii magis faciet, quam Christo, aut die Dominico, quando nec Christo ».

Igitur statio proprie nihil aliud erat, nisi vigilia diurna tempore solemnium jejunii. Cum enim publice, et solemniter jejunabatur, vigilabant in orationibus, et ejusmodi vigiliæ, et quasi excubiæ orantium et jejunantium stationes dicebantur, vocabulo desumpto ex militia, ut Tertullianus monet in lib. de oratione.

Hoc autem intererat inter stationem, vigiliam, et jejunium, proprie loquendo, quod jejunium fieri poterat noctu et interdiu, vigilia solum de nocte, statio solum de die. Atque idcirco diximus, stationem non esse

vigiliam simpliciter, sed vigiliam diurnam. Item ante omnem vigiliam, nocturnam videlicet, præcedebat statio et jejunium: non autem post omnem stationem, et jejunium sequebatur vigilia.

Et quidem quod statio esset vigilia diurna, et distingueretur a jejuniis, et oratione, perspicuum est ex Tertulliano in lib. de fuga in persecutione: « Quando, inquit, Deus magis creditur, nisi cum magis timetur, nisi tempore persecutionis? Tunc Ecclesia in attonito est; tunc ex fide in expeditione sollicitior, et disciplinatio in jejuniis, stationibus, orationibus ». Ubi per stationem intelligit vigiliam jejunantium, et orantium. Quod autem interdiu solum fieret statio, ac per hoc esset vigilia diurna, docet idem Tertullianus in lib. II. ad uxorem: « Si statio, inquit, facienda sit, maritus de die conducat ad balnea ». Item in lib. de jejuniis dicit, stationem finiri hora nona, aut ad vesperam. Simul enim jejunium solvebatur et statio.

Fieri autem solitam stationem in diebus solemniis jejuniorum docent Isidorus lib. VI. Etymolog. cap. ultim. et Rabanus lib. II. de institut. Clericorum cap. 18. et ante hos omnes Tertullianus in libro de jejuniis, ubi dicit, stationes fieri feria 4. et 6. et tandiu stationem durare, quamdiu non solvitur jejunium. Immo propter hanc conjunctionem stationis cum jejuniis, jejunium ipsum aliquando statio nominatur. Sic enim accipit stationem Tertullianus in libro de oratione, extremo, ubi quærit, utrum per sumptionem Eucharistiæ solvatur statio; cum quærere vellet, utrum Eucharistia sit talis cibus, ut eo sumpto, dicatur solutum esse jejunium. Sic etiam accipit Cassianus Collation. 21. cap. 29. cum dicit, stationem jejunii relaxari.

Porro S. Gregorius stationibus certa loca attribuit in urbe Romana, et ipse ad ea loca veniens, tempore stationum viginti homilias in variis Ecclesiis declamavit, ut scribit Joannes diaconus in vita S. Gregorii lib. II. cap. 18. et lib. IV. cap. 74. Forte etiam ipse primus fuit, qui stationes a jejuniis separavit, et in Dominicis Adventus, et Quadragesimæ, et in ipsa etiam Dominica Resurrectionis stationes fieri voluit, cum antea solum in diebus jejuniorum fieri solerent. Legimus enim in Antiphonario, et Sacramentario sancti Gregorii annotatam stationem ad Lateranum prima Dominica Quadragesimæ, et in ordine romano in ipso principio, mentio fit stationis in die festo.

Usus autem, qui nunc viget, Ecclesias, ubi statio celebratur, invisendi, ac breviter orandi, ex necessitate ortus videtur. Quoniam enim basilica illa, ad quam statio forte indicitur, tantam populi multitudinem capere non potest, et omnes tamen stationis participes esse cupiunt, ideo consuetudo introducta est, ut nunc isti, nunc illi locum stationis adirent.

Itaque duabus in rebus differt statio hujus temporis ab antiqua. Primum enim iidem homines tunc in oratione perseverabant a summo mane, usque ad horam nonam, aut vespere: nunc autem alii, atque alii vigilant in orationibus, sic tamen, ut a summo mane, usque ad vesperam nunquam desint, qui in Ecclesia Deum precentur, aut laudent. Denique, tunc stationem semper cum jejuniis, et oratione jungebant: nec ante statio, quam jejunium solvebatur: nunc autem non solum diebus jejuniorum, sed etiam in festis, et Dominicis, nec solum ante cibum, sed etiam post cibum statio celebratur.

CAPUT XXIII.

De diebus, quibus jejunari non debet.

Per omnes Dominicas, et spatium illud, quod est inter Pascha et Pentecostem, et in die Natalis Domini jejunandum non esse, communi consensu Patres docent.

Tertullianus in lib. de corona militis: « Die Dominico, inquit, jejunari nefas ducimus. »

S. Ambrosius in epistol. 88. « Dominica, inquit, jejunare non possumus, quia manichæos etiam ob istius diei jejunia jure damnamus. Hoc est enim in resurrectionem Christi non credere, si legem quis jejunii die Resurrectionis indicat ».

S. Hilarius præfatione in Psalmos: « Et hæc, inquit, Sabbata Sabbatorum ea ab Apostolis religione celebrata sunt, ut his Quinquagesimæ diebus nullus neque in terram, strato corpore adoraret, neque jejuniis festivitatem spiritualis hujus beatitudinis impediret. Quod id ipsum extrinsecus etiam in diebus Dominicis est constitutum ».

S. Epiphanius in compendiaria doctrina: « Per totum, inquit, annum hoc servatur in eadem sancta catholica Ecclesia, quarta, inquam et prosabbato usque ad horam nonam, excepta sola Pentecoste, per totos quinquaginta dies, in quibus neque genua flectuntur,

neque jejunium est imperatum ». Et infra: « At vero Dominica omnes delicatas ducit sancta hæc catholica Ecclesia, et communionem maneat perficit, et non jejunat. Inconveniens enim est in Dominica jejunare ». Et ibidem: « Neque, inquit, in die Epiphaniarum, hoc est, Apparitionis, et Adventus, quando natus est in carne Dominus, jejunare licet, etiamsi contingat, ut sit quarta, aut prosabbatum ». Quo loco nomine Epiphaniarum, more Græco, non intelligit, nisi ipsum diem Natalis Domini.

Vide similia apud Hieronymum in epistol. ad Lucinium Beticum, in epistol. ad Marcelam contra Montanum, et in Epistol. ad Eustochium, de custodia virginitatis, apud Augustinum in epistol. 86. ad Casulanum, et in epistol. 119. ad Januarium cap. 15. apud Leonem in epistol. 91. ad Turbium. Item in Concilio Gangrensi canon. 18. Carthaginens. IV. can. 64. Bracarense I. canon. 4. et aliis.

Causa hujus prohibitionis fuit, tum ob lætitiarum, et celebritatem horum dierum: tum maxime in odium hæreticorum, qui his potissimum diebus, dedita opera, jejunabant. Montanistæ enim unam Quadragesimam, sive unam hebdomadam (variæ sunt enim de hac re sententiæ) post Ascensionem Domini, et aliam post Pentecostem jejunabant, ut sanctus Hieronymus refert in commentario ad cap. IX. Matth. Manichæi jejunabant ordinario die Dominico, ne viderentur de Christi resurrectione gaudere, quam falsam fuisse sibi persuaserant, ut ex Ambrosio in epistol. 83. et ex Augustino in epistol. 86. cognosci potest. Eustathius et Aërius, atque eorum discipuli, diem Dominicum ad jejunium potissimum deputabant; et contra iidem Aëriani hebdomadam sanctam convivii et potationibus celebrabant, ut Epiphanius hæresi 75, et Socrates lib. II. histor. cap. 33. testes sunt. Denique Priscillianistæ die Dominico, et in Natali Domini jejunare solebant, ut S. Leo testatur in epistol. ad Turbium, jam citata.

Sed illud hoc loco non est omittendum, jejunium in his diebus non simpliciter esse prohibitum, sed solum si quis vel ex superstitione jejunet, ut Montanistæ faciebant, vel ex errore, ut Manichæi et Priscillianistæ, vel ex contemptu Ecclesiæ, ut Eustathiani, Aëriani, vel denique cum scandalo aliorum, ut si quis unam hebdomadam jejunaturus, eligat sine ulla rationabili causa hebdomadam paschalem; aut unum diem jejunaturus, eligat diem Natalis Domini, aut Dominicam.

Alioquin enim si quis vel ad tentationem carnis superandam, vel causa morbi corporalis curandi, vel quia vovit jejunium totius anni, aut integri mensis, non peccabit, si paschali tempore, vel in Dominica die, aut etiam in Natali Domini jejunaverit. Atque hoc ipsum Epiphanius, Hieronymus et Augustinus locis notatis docent.

Ex quo intelligimus, non debere consuetudinem eorum reprehendi, qui (ut supra diximus) in diebus Rogationis jejunant. Et multo minus consuetudinem Ecclesiæ universæ, quæ vigiliam Pentecostes similiter jejunat. Cujus jejunii meminit Ordo romanus ubi describit officium vigiliæ Pentecostes. Ordinem autem romanum antiquissimum esse, vel ex eo perspicui potest, quod ab Alcuino et Amalario passim citatur.

Quod autem in Concilio Salegustano apud Gratianum dist. 76. can. de jejuniis, dicitur, jejunium quatuor temporum non debere celebrari immediate ante Pentecostem, quia jejunium, et vigilia simul celebrari non debent: non significat, in vigilia Pentecostes non esse jejunandum, sed non debere in unum diem concurrere duo jejunia, jejunium videlicet vigiliæ, et jejunium quatuor temporum. Sicut etiam paulo infra monet, ut jejunium decimi mensis celebraretur in Sabbato præcedente vigiliam Natalis, ne jejunium illud concurrat cum vigilia, id est, cum jejuniis vigiliæ Natalis.

CAPUT XXIV.

De fraudibus, et corruptelis Kemnitii in historia antiquitatis.

In extrema disputatione de jejuniis, mira calliditate Kemnitius per modum simplicis historiæ se demonstraturum proficitur, nunquam defuisse, qui leges jejuniorum, aut opinionem meriti, et satisfactionis in jejuniis suscipiendis obtrudere voluerint: sed nunquam etiam defuisse sanctos viros, qui magno zelo contra ejusmodi superstitiones opinionem, et leges pro evangelica libertate et sinceritate pugnaverint.

Hanc ejus historicam observationem duabus de causis non existimavi mihi esse accurate refellendam. Nam hoc ipso tempore, magno Ecclesiæ honore, Cæsar Baronius, vir optimus, et sine controversia eruditissimus,